

in sublime extollit; & post pauca subdit, Fortuna cum ingenium vile magnis, & splendidis rebus extollit: adeo magis demonstrat, atque infamia exponit.

QUÆSTIO III.

Quisnam esset iste Ananias Summus Sacerdos?

- 19. Anna. Multa, & varia sunt Authorum placita in hac re, aliqui dixerunt, hunc esse Annam soctum Caiphæ, ad quem Christus D. comprehensus à Judæis ductus est, Joan. 18. n. 13. & dicitur ab hoc Paulum accepisse literas ad comprehendendos Christianos, de quibus literis paulus facit mentionem superiori cap. 22. n. 5.
20. Joann. 18. Alii existimant hunc Ananiam esse ultimum filium, modo dicti Annæ, nam iste habuit filios quinque, & omnes suo ordine fuerunt pontifices; & ultimus extitit Ananus, qui anno Christi 63. & anno quinto post hæc gesta occidit Sanctum Jacobum fratrem domini episcopum Jerosolymitanum & hic erat crudelissimus.
21. Filius Anna. Valde probabiliter Sigonius lib. 5. de Republ. Hebraica cap. 1. in Catalogo Pontificum Hebræorum ait, hunc Ananiam esse Nebedæ filium ab Agrippa Calveorum Rege, Pontificem datum, & postea remotum, de quo agit Josephus lib. 20. c. 3.
22. Sigon. Ultimo alii dicunt hunc Ananiam, alio nomine appellat Ismaëlem, esse filium Phabæi, quem in his ultimis annis Felix prædens constituit Pontificem ad quem paulus victus missus est, ut scribit Josephus lib. 2. cap. 6. quamvis Baronius dicit Josephum errasse.

QUÆSTIO IV.

Quare D. Paulus ait se non agnovisse Summum Sacerdotem?

- 24. A It paulus in præsentia tanquam se excusans à maledictione data, Percutiet te Deus, paries dealbate subdit Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum, erat persona publica, & valde nota paulus nutritus, & educatus in Jerusalem, quomodo fieri potest, quod eum non agnosceret.
25. 1. Respondet Oecumenius paulum agnovisse, sed ignorantiam simulasse, hæc sententia rejicienda est, quia alias esset mentitus paulus dicens ego nesciebam.
2. Beda Nesciebam pontificem, quia Hebræicus pontificatus jam erat extinctus, quod est verissimum, tamen Paulus excusat se quod non ei impenderit debitam reverentiam.
3. Baronius ait, quod præter hunc Summum Pontificem fuisse alium ordine secundum ceteris prepositum & paulus dubitabit, quisnam esset, at hoc nullum habet fundamentum, & talis secundus Pontifex nullibi legitur.
26. Vera sententia. Dicendum est cum vera, & communi sententia D. Chrysof. Lyran. Carthuf. Ugonis: Verè Paulum non agnovisse Principem, quia ipse per multum temporis ab Jerosolymis abfuerat, & novus erat hic Pontifex, ac multis aliis viris circumgebatur, & ut advertit Sanchez multæ erant tumultuantes voces astantium; & ira Paulus non potuit distinctè agnoscere, à quo exiit illavox Percutere os; contra quem Apostolus fulminavit maledictionem.
27. D. Cypri. Qua in re maximè audiendus est D. Cyprianus epistola 55. & ait. Paulus cum ei dictum esset; sic in filiis in Sacerdotem Dei maledicendo? Quamvis

Domino jam crucifixosacrilegi, & impii, & cruenti ille esse cepissent nec jam quaquam de sacerdotali honore & auctoritate retinerent; tamen ipsum quamvis inane nomen. & umbram quandam Sacerdotis, Paulus nesciebam inquit, quia Pontifex est, cum ille antiquus Pontificatus jam esset extinctus per Christum, bene sciebat Paulus, quod ille non esse Pontifex, sed homo quidam impius, sacrilegus, ac omni nequitia plenus; tamen habebat inane nomen, & umbram quandam Sacerdotis inde ipsum reveritus est Paulus, tantum enim honor deferendus est Sacerdoti.

Sanat Dominus Matth. 8. n. 4. Leprosum, & ait illi, Unde ostende te Sacerdoti, Communis lex erat Levit 13. quod ille, qui lepra scedatus fuerat non posset communi aliorum confortio gaudere nisi prius Sacerdos expiasset eum, ac mundatum declarasset, at Christus supremus dominus ad quid huic mandat, ut vadat, & ostendat se Sacerdoti, quem sciebat esse peccatum, & sacrilegum, erat tamen Sacerdos; & quamvis pessimus, vult, ut ei exhibeatur debitus honor, & reverentia, ut leprosus se ei humiliter representet ut ab eo expietur, & testimonium de sua munditia ab eo accipiat tanquam à vero Sacerdote. D. Cyprian. epistol. 65. ait, Jesus Christus Rex & judex, & Deus noster usque ad passionem, diem servavit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent, nam cum leprosum mundasset, dixit, Vade, ostende te Sacerdoti, humilitate ea, qua nos quoque esse humiles docuit, Sacerdotem adhibe appellat, quem sciebat esse sacrilegum.

Syracides ait Ecclesiast. 7. n. 3. In tota anima tua tunc deum, & Sacerdotes ejus sanctifica, & iterum repetit n. 33. Honora deum in tota anima tua, & honorifica Sacerdotes ejus. Honorem Sacerdotis non semel commendat, sed vicibus, tanquam rem magni ponderis, & ita recommendat, ut juxta Dei honorem postulet, ac si ille sit post Deum primus, & si Sacerdos fuerit malus, hoc de eius conscientia judicare, ad te non pertinet, sed ipsum honorare. D. Cyprian. lib. 3. epistol. 9. ait, Salomon restatur, & docet, quæ sit Sacerdotalis auctoritas & potestas, quod sit honorandus post Deum, unde cum Alexander la d. m. Sacerdotem maximum reverenter adorasset, dixit (ut restatur Josephus lib. 11. Antiqu. cap. 8.) Non hunc adoro, sed Deum, cuius Principatu Sacerdotis functus est. Vide quæ dixi supra cap. 2. q. 3. 1. n. 263. 264. 265.

Act. 23. n. 6. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Phariseorum, exclamavit in Concilio, Viri fratres, ego Phariseus sum, filius Phariseorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judico,

Versiones.

SECUNDA EXPOSITIO. Usque ad Vers. 11.

Vers. 6. Sciens autem Paulus quanta dissensio Sextabat inter eos circa personam Pauli, quia ex illis astantibus quidam erant Sadducæi, qui negabant resurrectionem & erat crudelissimū hominum genus ut ait Joseph. lib. Antiq. 20. cap. 8. Altera pars phariseorum, quæ erat melior, & nobilior, quæ resurrectionem, & Angelos agnoscebat &

& quia utrisque Paulus non poterat resistere, & ut aliquos haberet pro se, ait, Ego Phariseus sum, sicut ipse de se restatur ad Philipp. 3. n. 5. Codices Græci & Syriaci legunt in singulari, at nostra Vulgata Tertul. D. Aug. D. Greg. legunt in plurali Filius Phariseorum, quod refertur ut ait Iyra, ad utrumque parentem spirituale, scilicet gamalielem, secus cujus pedes fuerat edoctus, Act. 22. n. 3. & etiam ad patrem carnalem, qui secta erat Phariseus, & ideo eum tradidit sub disciplina Gamalielem. Itaque Paulus ante conversionem erat Phariseus, & etiam post conversionem quo ad illam partem affirmantem resurrectionem mortuorum.

De spe, & resurrectione mortuorum ego judico. Syriac. In judicium vocor. Variab. Accusor, eo quod asseram sperandam esse corporum resurrectionem: nempe eo quod affirmo resurrectionem mortuorum, & doceo Christum crucifixum resurrexisse, ac nobis omnibus resurrectionem, ac gloriam promeruisse, id est, de hac re judico, & accusor.

Vers. 7. Facta est dissensio inter Phariseos, & Sadducæos, nam Pharisei volebant defendere Paulum ut hominem suæ religionis, Sadducæi ut sibi contrarium insurgebant in eum, & soluta est multitudo. Græc. Dissecta est multitudo Syrus, figurina divisius est populus. In varias sententias, & controversias.

Vers. 8. Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum. Ac proinde animam rationalem faciebant mortuam, & cum reciperent rentatecum & passim eo fiat mentio de Angelis, fortè exponebant illa loca allegorice, pharisei utraque consentientur resurrectionem, Angelos & Spiritus.

Vers. 9. Surgentes quidam Phariseorum pugnant pro Paulo tanquam homine suæ religionis, quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus: tanquam si dicant, in hoc homine scilicet Paulo nulla culpa invenitur, nam ipse testificatus est, quæ ei Dei spiritus, vel Angelus locutus est in raptu, ac exitu, de quo fit mentio superiori cap. 22. n. 17. Hæc autem dicebant non solum pro pauli laude, sed etiam ut restarent, ac damnarent adversarios Sadducæos qui Angelos, & Spiritum negabant.

Vers. 10. Et cum magna dissensio facta esset, Syriac. Cum exortus esset tumultus magnus, Æthiopic. Comoti sunt valde Judæi, Nemphe pharisei, & Sadducæi, ut eum interficerent, quibus favebat pontifex vel ne pharisei raperent, ut defenderent Jusit milites, ut deducerent eum in castra, in arcem Antonianam, de qua sæpe dictum est.

Vers. 11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, apparens paulo ait, Constans esto. Syriac. Obfirmus & D. Chrysof. Bono animo esto. Arab. Æthiop. Confido, sic te oportet testificari de me Roma. De quo q. 7.

QUÆSTIO V.

Quare D. Paulus, quod sit phariseus, de se testatur

36. IAM dixi in expositione Paulum ante suam conversionem esse ex secta Phariseorum, & post conversionem convenire cum eis in articulo resurrectionis, & cum in consilio magna commotio exorta esset contra paulum, inde ipse de se ait, Phariseus ego sum ut Phariseos in sui defensionem haberet, maximè animos allicit, ac arahit convenientia in doctrina ac disciplina sub eodem magistro in eadem Schola

ad hoc tendit Tertull. lib. 2. Resurrect. cap. 3. 5. Neg. Tertull. tum, ait, transgressor legis videbatur de præcipuo si dei totius articulo; si est de resurrectione, ad Sadducæos sapere existimaretur. Itaque volebat videre rescindere fidem resurrectionis, utique confirmat secundum Phariseos, respiciens negatores ejus Sadducæos. Vide tom. 2. in Evang. cap. 3. q. 2. n. 9. 10. & 11. de conventa doctrina.

Secundo maxima erat controversia inter Phariseos affirmantes resurrectionem, & Sadducæos illam negantes, omnes tamen uniter erant ut paulum interficerent; tunc paulus altâ prudentiâ clamat Phariseus ego de spe resurrectionis mortuorum, & soluta est multitudo: cum Paulus se declarat Phariseum, Pharisei pugnant pro Paulo, & dissipata est unio inter Phariseos, & Sadducæos, & Paulus salvus custoditur; destructa, ac dissipata unio inter iniquos, perversum germen est multorum bonorum. D. Greg. lib. 34. Moral. c. 4. ait, Cum in duas partes tumultuorum multitudo dividitur; Paulo via ereptionis aperitur, quia quem turba prosequentium construxerat, divisa laxabat. Similiter & Beda ad præsentem locum Actor. ait, Sicut unitas bonorum semper est utilis, sic malorum unitas semper est bonis noxia. Unde nunc Paulus persecutores suos dissociari satagit ut quem uniter cinxerant, divisi laxarent. Et hoc sæpe est valde utile docet D. Tho. 2. 2. q. 37. art. 1. ad 2.

Ait Christus Matth. 10. n. 34. Non veni pacem mittere, sed gladium Christus D. Princeps pacis, quomodo ait, quod non venerit ut pacem constitueret, sed ut gladium inferat quod dicit bellum, & discordiam, quia ut princeps pacis, venit, ut pacem tolleret, & tanquam gladio dissecaret unionem inter impios, ut pacem firmaret inter Sanctos, & justos D. Chrysof. homil. 36. in Matth. ait, Malam pacem bona dissonantia solvit, gladium mittit, non ut bellum geratur, sed ut pax acquiratur.

Mittuntur tres Sancti pueri in fornacem adentem, ut ab igne devorentur, tunc Angelus Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis, Dan. 3. n. 49. alia littera habet disperst: flamma unita erat ad eos consumendos, & comburendos, divisa verò infervivit ad eorum salutem, & custodiam.

Loquens propheta habacuc de illustrissimâ Christi victoriâ de omnibus impiis ait, cap. 3. n. 14. maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, Septuaginta sic legunt, Dividisti in stupore capita potentium; non ait, destruxisti, sed dividisti in hoc exitu eos omnino destrucere, D. Hieron. ibi non dixit perdidisti, vel cecidisti capita potentium, sed dividisti: quod enim dividitur, non tam amputatur, & perditur, quam separatur in partes sic & capita hæc dividuntur in partes, & separata locum facient, quod exercitui non advenit, si ejus cornua dividuntur, ac separantur inter se, & ad hunc sensum explicat Rupert. illud ejusdem Prophetæ Habac. cap. 3. n. 10. Fluvios scindes terra. Vide tom. 4. in Evang. cap. 7. q. 5. n. 36. 37. 38.

QUÆSTIO VI.

Quare Tribunus timet ne à tumultuante turba Paulus discepatur?

IN Concilio magna dissensio erat inter Phariseos, & Sadducæos, illi affirmabant resurrectionem, quam isti negabant, & Paulus pro Phariseis se stare declarat affirmans resurrectionem; quæ doctrina contraria omnino erat Sadducæis, & tunc maxime

ximè exorta est tempestas contrarietatis inter illos timet Tribunus, ne inde aliquid malum eveniat Paulo, & intendit illum in tuto constitutum: sed cur potius non præsūmit, quod ex tanta contrarietate, ac dissensione posset aliquid utile contingere Paulo, ut inde aperiat ostium, ut ipse effugiat. Bene tamen sciebat Tribunus, quod quamvis impii inter se belligerent, & descendant, ut eo, tamen maxime conveniunt, ut iustum perimant ac persequantur.

42. Scribit d. Matth. 9. n. 14. Ad Christum dominum *Accesserunt discipuli Joannis dicentes, Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant.* Discipuli Joannis sequentes suum magistrum maxime adverbantur Pharisæis, quos Joannes Matth. 3. n. 7. vocaverat gemina viperarum, cur modo ad se eos advocant, & ut socios habent & qui se jactant de multa sanctitate modo se associant vitiosis viperis. Res agebatur contra Christum, ejusque discipulos, & quamvis discipuli Joannis, & Pharisæi essent inter se diversi, & contrarii ad oppugnanda non supremam justitiam, ac sanctitatem Christi, ac discipulorum ejus, facile inter se conveniunt, & uniantur. D. Chryso. serm. 31. ait, *Cum discipulis Joannis, quæ societas Pharisæi? nisi quia unxerat invidia, quos disjunxerat disciplina.* Judæi postponi Moysi Dominum non ferebant, discipuli Joannis ibi nolebant Joanni ullatenus anteferri, Christum fremebant utroque livore communi.

43. Cum meus Jesus esset comprehensus, stabat Petrus in atrio Pontificis quidam vero ex illis affirmabat dicens: *Verè hic in millo erat,* Luc. 22. n. 59. sic & Joan. 18. n. 26. scribit, quod unus ex servis Pontificis Petrum urget, quod ille erat ex Christi discipulis, aliter vero D. Matth. rem prosequitur cap. 26. n. 73, & ait, *Post pusillum accesserunt qui stabant & dixerunt Petros, Verè tu ex illis es.* Similiter & Marc. 14. Unde hæc rerum varietas? an quod Matth. refert, Lucas negat id ego pernego: sed quod unus servus facit ad urgendum, & vexandum Petrum, reliqui approbant, & exurgunt in Petrum, & quod ille servus incipit, cæteri prosequuntur. Jansenius ait maxime cum in tam una nemi malorum consortio quidquid unus ageret, omnium fieret nomine.

QUÆSTIO VII.

Quare Christus Dominus prædicit Paulo, quod ut cum testificatus fuerat in Jerusalem, oportebat eum Romæ testificari.

44. Apparet Christus Dominus nocte Paulo, ac proinde videtur quod in somnis, & ait illi, *Constantis esto, sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* Erat Paulus in carcere, in vinculis, & carentis adflat Christus Dominus dans ei magnam consolationem, & non dixit ei: cessat persecutio, ac tempestas adversariorum, sed testatur eadem esse passurum Romæ, pati pro Christo magnum erat Pauli gaudium, & magnum levamen. Vide verbum Paulus.

Considera tamen, quod sic eum exhortatur ad ipsum Christum testificandum Romæ, sicut testificatus est in Jerusalem, sic te oportet, ac proinde Christus suo dicto approbat, quæ fecerat in Jerusalem, ac tanquam laudans ibi facta, ut notat D. Chryso. homil. 49. in Acta, & ait, *Vide quanta consolatio, primo illum laudat, deinde non finit in-*

certain profectionem illius Romam, ut laudata & approbata gesta in Jerusalem sint calcata, & excitementum, ut quæ ei denuntiantur Romæ perpetranda, bene, & optime adimpleantur. Unde rectè ait D. Thom. orat. 3. *Præclare factorum prædicatione vehementiorem illis, à quibus sunt, cupiditatem ad potiora ingerit.*

Maximè multis proclamationibus divinus Sponsus extollit animam sanctam, Pulchra sunt gena tua sicut turris, collum tuum sicut monilia; mureculas aureas faciemus tibi vermiculatas argento, Cant. 1. n. 9. Christus Dominus omnia altâ, & supremâ sapientiâ disponit, & ordinat, ad quid tot, & tam magna encomia accumulât in ea? dixerat illi Dominus, *O Pulcherrima inter mulieres egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos*, disposuerat, ut ipsa curâ pastorali gelu, & æstu multa sollicitudine pasceret hædos suos, & ut inter tot, & tantos labores animo non caderet, sed vires resumere, ideo tam præclaris laudibus corroborat, ut illis stimula addita, quæ sui muneris sunt, generose adimpleat omni perturbatione depositâ. D. Bernard. serm. 42. ait, *Vis pavidiór, quam oportuerit, ac dejectior animo facta esset, talium commendationum consolationes erigerent eam.*

Maximè notandum, ac expendendum est, quod Christus postquam à Patre est laudatus, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Matt. 3. n. 17. Tunc pergit in solitudinem, orat ibi, teritur jejunio, tentatus à diabolo gloriosus victor est, Matth. 4. n. 1. & tunc omnium magister Scholam aperit Ibidem n. 17. Exinde caput lesus prædicare. Similiter cum in vertice Thaboris transfugatur coram suis discipulis vox Patris auditur, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite,* Matth. 17. n. 5. Ac laudatione peracta à monte descendit, Apostolos de sua cruce morte, & passione nobili monet. Sic & filius hominis passus est ab eis, Ibidem n. 12. Et iterum n. 21. *Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occidetur, Antequam Christus tendat in desertum, & diabolum prosternat, laudatur à Patre.* D. Chryso. serm. 160. & ait, *Ut quem Patris voce Filium probaver, Deus se virtutibus approbet.* deinde prius Christus in Thabor à Patre laudatur *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* & tunc ipse ad crucem, & necem se properantem declarat, ut notavit D. Chryso. homil. 38. in Matth. inquit, *Quando predicatus fuit Christus, & Filius Dei esse, tunc apertius de passione prædixit.* Ac si laus à Patre proclamata multum conveniret ad rem strenuè gerendam, non quod Christus hoc indigeret, sed ut supremum Magister in hoc nobis daret Magisterium, & magnum documentum, quod prælatâ majorum laude magnum est minoribus excitementum, ad præclara gesta virili, ac forti animo perpetranda.

Dixit Jesus mulieri Samaritanæ, *Vade voca viros tuos*, cui illa, *Non habeo viros.* Veritate confessâ, gratiæ gerendæ jam erat auspiciûm, confessione probatâ, manum addit Christus, & ait illi, *Bene dixisti,* & iterum verè dixisti, Joan. 4. n. 17. 18. Semel, & iterum Magister morum Deus eandem premit chordam, & laudem canit, ut mulier timore pulso animum erigat, & verè, & benedicat consiliens sua peccata.

Act. 23. n. 12. Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, & devoverunt se dicentes, neque manducatuos, neque bibituos, donec occiderent Paulum.

Versiones.

Versiones.

TERTIA EXPOSITIO Usque ad Vers. 17.

49. Vers. 12. **F**acta autem die. Syriacus, Diluculo convenerunt, seque anathemate devoverunt. Arabicus, Inierunt insanfam conspirationem Athiopicis; Juraverunt, & concluserunt. Illud de Luca indicat magnum furorem, & iram contra Paulum, quidam nempe Sadducei, qui negabant resurrectionem devoverunt, scilicet multis diris execrationibus, se ipsos anathematizantes, ut habent Syriac. & Græcus, adjurantes, si comederent & biberent antequam Paulum interficerent.

50. Vers. 13. **Q**ui hanc conjugationem fecerant. Syriac. Qui pepigerant jurando hoc pactum. Conjugationem illam ad majorem firmitatem juramento corroboraverunt, ut non liceret retrocedere.

51. Vers. 14. **Q**ui accesserunt ad principem Sacerdotum, tamquam ad caput totius Concilii, & qui malevolo animo erat in Paulum, Devotione devotimus, illa geminatio magnam vim indicat, præcipiendo præcipiam.

52. Vers. 15. **T**unc ergo, inquit Summo Sacerdoti, ac senioribus, hanc nostram resolutionem notam facite tribuno, ac omni Concilio. Arabicus explicat, *Petentes ab eorum ut dimittat & tamquam volentes scire res ejus cognitione exacta.* Athiopic Interrogare, & perscrutari eum.

53. Vers. 16. **Q**uod cum audisset filius sororis Pauli, an audiret casu, vel ex industria, quia forte multum sollicitus erat pro sui avunculi salute, incertum est, nuntiavit Paulo, Athiopic machinationem eorum, *Introivit in castra;* non ita erat Paulus reclusus, quin cum illo non possent amici habere sermonem, ac ei necessaria ministrare.

54. Vers. 17. & 18. **V**ocans autem Paulus unum ex centurionibus dixit ei hunc adolescentem perduc ad Tribunal, *habet enim aliquid ad indicandum ei, quod fecit centurio.*

QUÆSTIO VIII.

Quare isti iniqui faciunt votum non manducandi, nec bibendi, donec interficiant Paulum?

52. Devoverunt se dicentes, neque manducatuos, neque bibituos, donec Paulum occidant, quod procedebat ex crudeli furore, ac odio, quo fervebant in Paulum, & etiam proveniebat ex alta Dei providentiâ, ut suum peccatum peragerent, ac celebrarent jejunio, vigiliâ, abstinentiâ, ac sui mortificatione.

53. Ahab cum intenderet sibi arripere vineam Naboth, antequam haberet eam in sui possessionem; sic habet Text., Reg. 21. n. 4. *Projiciens se in lectulum suum avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Septuaginta legunt, *Turbatus est spiritus ejus, velavit faciem suam.* Ecce quibus sollemnitatibus festive celebrat suum crimen, & quibus comitibus associatur, turbatione, mæstitiâ, vultu abscondito in tenebris, ac jejunii, talibus doloribus stipatus incedit peccatum. D. Ambros. lib. de Naboth & ait, *Divites eripitis quidem pauperibus universa; vanam tamen pauperum vos divites sustinetis; illi jejunant cum non habeant, vos cum habetis; à vobis igitur penam exigitis, quam pauperibus erogatis.*

54. Secundo Beda ad hunc locum ait. *Cum Dominus*

indicat, Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, isti e contra iniqui esuriunt, & sanguinem adeo sitiunt, ut cibos etiam corporis abdicent, donec justis morte satisfiantur, in edias, & labores, quos justis pro justitiam patiuntur, eisdem sustinent impii pro suis vitiis peragendis, inde forsitan multo majores tolerant labores.

Veniunt magi de terris valde longinquis adorare Christum, *Vidimus Stellam ejus in Oriente,* & *venimus adorare eum.* Matth. 2. n. 2. At de Pharisæis ait Christus Dominus, *Ecce scriba & Pharisæi hypocritæ, qui circumcis mare, & aridam, ut faciatis unum profelytum.* Matth. 23. n. 11. profelytum id est unum gentilem judæum, hoc autem faciebant non religionis zelo Dei, ac animarum, sed vel ob vanam gloriam; vel ob avaritiam, & ideo Christus dominus lamentatur super eos, nota in rem nostram Magi veniunt de longinquo; ducente stella, recto itinere per terram, at Pharisæi, & Scribæ ambulat in circuitum non solum per terram, sed etiam calcantes tempestuosum mare cum innumeris periculis, ob suam vanitatem, & avaritiam. D. Chryso. in Imperfecto homilia. 44. in Matth. sic ait: *Non propter gloriam Dei, ut additis cultoribus honoretur Deus, neque propter misericordiam, volentes eum salvare, sed propter avaritiam, aut propter vanam gloriam, propter hoc ipsum, ut videantur gentilem convertere.*

QUÆSTIO XI.

Quare impii non aliam sibi penam imponant nisi tantum cibi, & potus?

Poterant isti iniqui dicere, si nobis non tradit Paulum, ut occidatur, nosmetipsos occidemus, vel filios nostros interficiemus, sed interponunt abstinentiam, & jejunium in cibo, & potu.

respondet D. Chryso. homilia 49. in Acta Ecce jejunium homicidii mater; Tales sunt venandi artes diabolo, qui prætextu pietatis laqueos tendit. Hæc non Sacerdotum, sed latronum, hæc non principum, sed facinorosorum, de diaboli arte, ac malignantium nequitia venit, quod sub virtutis tegumento proximum persequaris. Abige hypocrisis, quæ virtutes truncat mucrone virtutum. D. Chryso. serm. 9. serm. 7.

Cum quidam adolescens accederet ad Christum dominum dicens, *Moge esse, quæ te, quocumque jeres, addit tamen, Domine permittite me primum ire, & sepelire patrem meum.* Tunc respondens illi Jesus, *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 8. n. 21. Magna quæstio injurgit, cur elementissimus meus Jesus, fons totius pietatis non concedit, ut adolescens debitum pietatis officium suis parentibus solvat, quodnam erat peccatum, ut parentibus honores funebres præstaret, ut hanc curam deponendam Magister moneat. Solebant Hebræi sepulcræ funus celebrare vocatis tibicinis Matth. 9. cap. 23. *Cum venisset Jesus, & vidisset tibicines, & simul accessit lamentatricibus* Jerem. 9. n. 17. *Vocare lamentatrices.* D. Chryso. serm. 19. *Vbi verus planus non est, ubi est emptus, & mercenaria cantilena.* Lamentatrices in funebri pompa lacrymantes dolorem fingebant, quem animo non habebant, & ob suorum comparandi multa falsa, & mendosa clamabant, & ideo Christus dominus vult avellere à paterno funebri permisso simulato dolore, ac fictis, & mendacibus clamoribus, nam suis alumnis nil permittit compositum, L. I. 4. &

Impii, quamvis in se contrarii justum contra verentur.

42.

Math. 3.

Viti contra Christum.

D. Chryso.

Luc. 22. Joan. 18.

Math. 26.

Cum unus insurgit in justum omnes sequuntur.

44.

Pauli gaudium pati pro Christo.

45. D. Chryso. Luc. 12. Magister, ut discipulus bene gerat.

46.

Cant. 1.

Laus obsequium ad benedendum.

D. Bern.

47.

Math. 3.

Math. 4.

Math. 17.

D. Chryso.

Laudes inferunt ad redagendum.

48.

Samaritanæ laudibus ad penitentiam excitatum.

Beda. Eadem patiuntur impij pro mundo.

55.

Math. 2.

Math. 23.

D. Chryso.

56.

D. Chryso.

D. Chryso.

Math. 8.

Odit Christus Dominus dolorem affectu- num.

Jerem. 9. D. Chryso.